DE SACRA PENTECOSTE ORATIO

AD SANCTISS. D. N.

VRBANVM VIII.

PONT. OPT. MAX.

HABITA

AB HERCVLE BVRONTIO BERZETTO VERCELLENSI SEM. ROM. CONV.

SERENISSIMO PRINCIPI CARDINALI MAVRITIO A' SABAVDIA.

HERCVLES BVRONTIVS BERZETTVS F.

CVM de lege Timoris, atque Amoris lata diuinitùs in grauissimo terrarum orbis consessu verba facerem, immemor Tui esse non potui, Serenissime Princeps, à quo tamquam natiuo Principe leges accipere dulce, & decorum est: quem timere maiestas, quem amare docet humanitas. Quas ergo voces ore prolatas benignis tuis auribus offerre non licuit; eas typis impressas istis oculis offero, quos vti magnanimitas ad

ſumma quæque ſuſtollit; ita ſpectata benignitas ad ima deflectit. Nimirum vt immortale Timoris, atque Amoris, hoc eſt perfectæ venerationis Tibi meo Principi teſtimonium exhiberem, non fugitiuus, ac ſtatim euaneſcens adhibendus erat verborum ſonus; ſed manſura diutius, atque ipſam propemodum æternitatem æquatura ſculptarum immortalitas literarum. Quare quod tot nominibus tuum eſt, humaniter, vt ſoles, excipiendo, tuum eſſe confirma. Sic publicam in Te felicitatem diu confirmet Deus.

ORATIO.

TIMOR, ET AMOR, Beatiſsime Pater, principes optimorum Principum tributarij, tàm indiſcreta ſimilitudine ſe inuicem æmulantur, vt gemelli cordis filij dici poſſint; qui tamen viperina feritate parentem lacerant, ac diſcerpunt, antè parricidæ, quàm partus. Quantùm verò alterius inſtar in altero ſit, vel inde ſatis elucet, quòd & *res plena Timoris Amor eſt*, & ei tantùm timemus, quod amamus. Ambo quoque ſpectantur alati; pedibus Timor, vt, omnia conculcando, malum fugiat; humeris Amor, vt, omnia perferendo, ſequatur bonum. Quid quòd vterque colorem à pallida morte mutuatur? An quia Timori frequenter obiecta mors *rerum terribilium maxima*, repercuſſu palloris aſſiduo, vultum ſuum eius pingit in vultu? Amor verò, quando, vti libet, mori non licet *pro amicis ſuis*; morientis quidem certè ſpeciem induit, & vel ipſa mortis imagine delectatur. Verùm hos inter inſignes animorum motus, non tot fraternæ beneuolentiæ argu-

menta cenſentur, quot hoſtilis ſimultatis indicia. Timor enim, quamuis munimentis vndique cinctus, nunquam tamen munitum ſe ducit ſatis. Amor eò munitiſſimus eſt, quòd *munimento non eget*. Alter natiuo gelu rigeſcens, in medijs æſtibus hyemat: alter igne ſuo liqueſcens, in medijs brumæ rigoribus æſtiuat: ille nemini ſe credere audet, auarus etiam ſui: hic ſui maximè prodigus, vltrò ſe in omnes effundit. Timor Tyrannos inaugurat; Amor Reges. Timor irritat animos; Amor placat. Timor hoſtibus; Amor ciuibus debetur. In bello Timor; in pace regnat Amor. Quid ſi Deum ipſum præcipuè timendum, vnicè amandum, Timor ſatelles Dominum denominat, Amor conſiliarius Patrem vocat? Idemque ſupremus rerum Princeps, cum olim timeri vellet, appellatus fuit *Deus exercituum*: vbi poſtmodum præoptauit amari, dictus eſt *Princeps pacis*. Quid pluribus eſt opus? Quantùm à Timore diſſideat Amor, hæc ipſa doceat dies, vtrique Domino ſeruiens, atque vtriuſque ferendæ legi, iurique dicendo deſtinata. Hodierna ſiquidem luce, quæ non vno Sole contenta, quà fulgurum copia, quà linguis igneis, quaſi totidem Solibus coruſcauit, lata fuit LEX TIMORIS IN MONTE SINAI; LEX AMORIS IN MONTE SION. Vtriuſque vis legis, & diſcrimen vt agnoſcatur, tum eadem hæc monet, geminato rerum miraculo illuſtris legum dies, & lex dierum; tum hic ipſe poſtulat locus, ex quo

tanquam

tanquam ex vertice Sinai, vel Sion, Orbi terrarum vniuerso, sanctissima Timoris, & Amoris iura dicuntur. Duræ ceruicis populo seruile Timoris iugum, non liberum Amoris coniugium debebatur. Et colla toties contra Diuinitatem rebellantia, ferreis magis catenis, quàm aureis torquibus decuit illigari. Rigidissimam itaquè legem dura necessitas rogat, fulgura, tonitruaque promulgant, terror fert, horror suadet, nullo demum intercedente, aut vetante, lapideas in tabulas ipsa sua manu, ferreoque stylo seueritas incidit. Contrà verò molliori diuinum ad imperium genti, cui vel vnus pro lege nutus erat, quamque ad lapsum è cælo nouæ vitæ, tanquàm ignotæ viæ Ducem sequendum, solus adigebat obtutus, non è ferri, lapidisve duritie pondus imponi debuit vix ferendum; sed ex igne leuissimo, ac tenuissimo elementorum adijci par fuit, non tàm onus, quàm oneris leuamentum. Suauissimam nimirum legem ipse condidit Amor, suaque amœnitate condiuit: effusa diuinitus, ac dispertita sanctitas ritè sanxit: igneæ linguæ, tanquam *calami velociter scribentes in tabulis cordis carneis perscripserunt*. Quantùm igitur altera lex distet ab altera, diuersus vtriusque perlatæ ritus edocebit. Ad Timoris ferendam legem, solitarius in deserta regione Sinai vertex eligitur. Amica quippe solitudo Timoris est; eique maximè congruens nationi, quæ vel in media vrbium frequentia futura erat ab hominum necessitudine solitaria. Amoris verò

lex

lex in Vrbe frequentiſſima Hieroſolymæ fertur. Vt fortaſſe, quia *res maximè fuſilis Amor eſt*, plurimos habeat, quibus ſe cum ſua lege communicet. An potius quòd eadem, non intra vnius limites Palæſtinæ; ſed *in omnem terram, atque in fines orbis terræ* promulganda eſset, ibi primum ſtatuenda fuit, vbi homines erant *ex omni natione, quæ ſub cælo eſt?* Vtrique dicendo iuri mons optatur. Diuinam enim legem nonniſi è loco ſuperiore ferri decet: & cæleſtia iura par fuit è tribunali cælo proximo dari. At Sinai mons & ipſo nomine Timorem incutiebat (quod rubum, aut inimicitiam, hoc eſt, vel corporis, vel animi ſpinas notat) & horrido prodigiorum apparatu *totus* fertur *fuiſſe terribilis*. Sion contrà, cum ſpeculam, aut ſiccitatem ſignificet, & illa interpretatione tutelam, hac igneam vim amoris polliceatur, quam re ipſa copiosè diffudit; an non vniuerſus amabilis ſit oportet? Nil igitur mirum ſi mons ille fuit adeò populo Iudæorum inacceſſus, vt ne fines quidem illius attingere licuerit, ſeueriſſimo edicto in ea verba propoſito. *Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur*. Mons verò Sion, velut apertum ab Hebræorum furore profugis Aſylum, copioſa multitudine frequentatur, eò confugientibus ſalute illis vocibus promiſſa: *Dabo in Sion ſalutem*. Agè verò. Iam tempus antiquæ ferendæ legis aduenerat: cum ecce tibi repentè *cœperunt exaudiri tonitrua*. Timoris quippe lex haud alium ſui præconem poſtulabat, quàm cælum tonans. Illis

debuit

debuit frementis naturæ minis Diuinis comminationibus aptè proludi. Fragor ille pugnantium elementorum quid erat, nisi tubæ clangor inimicis bellum sceleribus cælitùs intonantis? *Humanas mouere* solita *tonitrua mentes*, socordes Iudæorum animos excitarunt ad præcipientis Dei voces attentè percipiendas. Tonare decuit antè, quàm lata contra noxas peremptoria sententia fulminare. At vbi noua lex Amoris est promulganda, non tonat cælum; sed sonat. *Factus* ergò *repentè de cælo sonus* non ne *Musicen* refert, quám *docet Amor?* Hic sonus Pythagoræa cælestium orbium modulatione quò verior, eò suauior, è cælo datus est ad eam in terris regendam harmoniam, quæ non è concentu chordarum; sed è consensu cordium resonabat, cum hæc, quamuis numero plurima, præ concordia plus quàm musica, *erant cor vnum*. Quòd si leges aliæ profanæ carminibus illigatæ decantari solebant, quò iucundiùs in aures, atque animos illaberentur; sacræ leges Amoris, quæ suauissimæ sunt, ac penitus appetunt in corda descendere, quî poterant ab amabili cantus societate disiungi? Iam verò in Sinai præter audita tonitrua *micant fulgura*. Parùm videlicet erat cælo, ad populum terrore purgandum, voce percutere, nisi etiam luce feriret. Segnius irritat animos per aures, quàm per oculos immissus Timor. Si *lex Dei lux est*, ea ferri non poterat, quin luceret. Verum horrida fulguris lux, & prænuncia fulminis, quid nisi metuen-

dam

dam legem, ac pænè fulminantem præmonstraret? Ad ferales eas faces legenda erant seuerissimæ verba legis, ac recitanda. Non ità se res habet in Sion. Fulgurum loco igneæ linguæ præfulgent. Quantùm hæc ab illa luce dissentit? Oculos illa ferit, & fugit: hæc summos vertices insidet, & coronat: illa nubibus exsilit laceratis: hæc, nulla ducta rimula, totam implet domum: index illa est cæli contrà mortales excandescentis: hæc eiusdem hominibus placati certissimum pignus. Denique si lingua cælestis vtraque dicenda est, illa cælum balbutit, hac loquitur: illa lædit, hac lambit: altera minatur, blanditur altera: illa condemnat, hac absoluit: illa Timoris legem pronunciat, hac Amoris. At quò magis timenda prior illa lex foret, *nubes densissima montem operuit*: ac si nubila illa fronte, tristique supercilio mons ipse non suggestum referret suadentis legem Oratoris; sed tribunal Iudicis ex lege damnantis. In illa caligine diuinus terror, humanus timor habitabāt. Ibi suum fixerat solium maiestas horrida Diuinitatis. Ex ijs vmbris iustissimæ seueritatis fulgura eò minaciùs, quò splendidiùs emicabant. An hoc sibi voluit nubis velum obtendere Deus in iure dicendo, vt consueuisse velum interponere Areopagitas accepimus in iudicando? Nisi præsagire malimus ex illa nube pœnarum tempestatem flagitijs ex vi legis impendentem. Aut potius interpretemur, latuisse sub nebula misericordiæ Deum, ne se palàm ostenderet

deret tam ſeueræ legis auctorem. Vbi verò ſuauior lex edicenda fuit, idem ſapientiſſimus Legislator ſine nube, ſine velo, ſine vmbris, manifeſta ſe in luce videndum præbuit: immò, quò magis dilucidè videretur, ipſam induit lucis igneæ formam. Et Amoris legem agnoſcere dubitabimus, quæ per ignem defertur? Vt enim ex aquoſa, & gelida nube appoſitè frigidi lex Timoris erupit: ſic feruida lex Amoris ab igneo debuit ardore, ac ſplendore vulgari. Ignis ipſe legem è cælo defert, è patria nimirùm, & regno ſuo: ipſe latè promulgat, quando partem in omnem velociſſimè funditur: ipſe ſuadet, cuius eſt maximè proprium inflammare: ipſe demum incidit, dum notas inurit æternitati pares. Famæ vicem geſſit hæc flamma; quæ pariter *mobilitate vigens, vires acquirens eundo*, ſuo lumine ſatis oculata, & compluribus facunda linguis, Diuinam Amoris legem vſquequaque circumtulit. Quamquàm hoc ipſum præſtare munus potuit *ſonus* ille *tamquam aduenientis ſpiritus vehementis*. Rumor is venti cælitùs terras afflantis, qui priuatos intra cœnaculi parietes contineri nequibat, potuit nouam legem ad remotiſsimas quaſque perferre nationes. Neque venti murmur violentum abhorrens à placido Amoris iure quis cenſeat. Nam & ortum ab amanti corde ſuſpirium ventus eſt, intimos æſtus aut alleuans, aut refrigerans: & venti quid aliud ſunt, quàm terræ ſuſpiria ab incluſis caloribus anhelantis? *Spiritus* ergo *vehemens*,

hemens præmiſſum ab Amore ſuſpirium fuit, cuius amabili, ſed efficaci ſono, à ſomno torporis, ac Timoris expergiſcerentur homines, ad vigiles aures Amoris legi præbendas. Longè diuerſus ab hoc ille fuit ſonus, qui veterem ad legem accipiendam animos præparauit. Vt enim Sacra loquitur hiſtoria: *Clangor buccinæ vehementiùs perſtrepebat: & timuit populus, qui erat in caſtris.* I nunc & legem eam Timoris fuiſſe nega, ſi potes. Quam ſanè meritò militaris tuba terribili ſonitu præcinuit: vt populus ille magis contrà Deum vitijs, quàm aduerſus hoſtes gladijs armatus intelligeret, cupiditatibus ſuis bellum indici potius, quàm legem edici. Feralis illa buccina ſuppliciorum exercitum cogebat, qui toties rebellem populum debellaret: bellicum intonabat; ſed contrà peruicaciam animorum: receptui canebat; ſed à ſceleribus. Quid ſi non ſolum auribus buccina; ſed etiam fumus oculis bellum indixit? *Mons* quippe *Sinai fumabat vniuerſus, haud aliter, quàm ſi de* immenſa *fornace fumus aſcenderet*. Miſeram Hebræorum gentem, cui ex igne cæleſti ſolus obtigit fumus: qui videlicet læderet oculos, non illuminaret; eliceret lacrymas, non aſpectum alliceret. Fumus parentis lucidi filius tenebroſus, atque ex origine illuſtri obſcura progenies, monſtrum aliud horribiliùs exprimebat ad viuum; ex Dei lege naſcitura flagitia Iudæorum, improbitate ipſorum obſtetricante. Quoniam verò ignis index eſt fumus; quid aliud

fumi-

246.

fumida illa nubes in Sinai diffuſa portendebat, quàm igneum imbrem poſtmodum effundendum in Sion? vt quantò præſtantior fumo ignis eſt, tantundem legem Timoris ſuperet lex Amoris. Verùm id etiam inter vtramque legem diſcriminis intercedit, quòd lapideis illa ſcripta fuit in tabulis, hæc humanis in cordibus exarata. Perinde quaſi lex mortis ea eſset, quæ ſepulchralium inſtar inſcriptionum in lapide incideretur: quæ verò ſcriberetur in corde, hoc eſt in libro vitæ, lex vitæ foret. An rigidum, gelidumque marmor exigebat legis illius rigor, & natura frigidus Timor: cor verò mollisſimum, & caloris fontem ſuauis, & ignea lex Amoris poſtulabat? ſed tamen (ò rerum exitus, tàm diuerſi, quàm admirabiles) illæ lapideæ tabulæ, quæ natiua duritie prouocabāt æternitatem, antequàm ad populum lectæ, confractæ ſunt: tabulæ verò cordis tenerrimæ, quæ corrumpi facile poſsunt, nedum rumpi, nulla vnquam vi diffractæ, integritatem, vt alienam tuentur, ſic ſeruant ſuam. Lex nimirum Timoris, quia ſaxea eſt, non flectitur; ſed frangitur. Lex Amoris, quia carnea eſt, non frangitur; ſed flectitur. Illa præterea *Dei digito ſcripta* dicitur, qui tamen digitus ad minandum intentus eſset veriùs, quàm ad ſcribendum. Hanc autem ſpiritus Dei ſcripſit, vel collectus in oſcula, vel diffuſus in beneficia, vel in *vitæ ſpiraculum inſpiratus.* Digitus Dei calamitatum procellas euocando, exterrefecit Aegyptios, proclamantes: *Digitus Dei eſt hic.*

92

hic. Spiritus verò Dei, cælestium donorum pluuiam inuehendo, *repleuit orbem terrarum*, & recreauit: Ille, quia potestatis est index, in pariete tria verba scripsit, quasi trinam mortis sententiam in Regem Babylonicum pronunciaret. Hic testis vitæ cum sit, vbi primum effusus fuit, hominum tria millia vindicauit ab æternæ sententia mortis: qui omnes hoc animati spiritu feliciùs, quàm primus hominum, *facti sunt in animas viuentes*. Quamobrem eodem propemodùm interuallo, quo vita distat à morte, à Timoris lege disiungitur lex Amoris. Adeo leges hæ ab vno Diuinitatis fonte manantes, magnorum instar fluminum, longè latèq. distracta fecêre diuortia. At quæ demum, & quàm diuersa vtriusque verba legis fuêre? Res est & longa nimis, & nota. Vtar in dicendi fine compendio. Et orationem simul, & ambas leges proprijs cuiusque titulis obsignabo. Lex Timoris hæc est: DEVM TIME, NE MORTEM TIMEAS. Lex autem Amoris: DEVM AMA, VT AMERIS A DEO.

DIXI.

ROMÆ, Typis Francisci Corbelletti. 1634.

SVPERIORVM PERMISSV.